

GREGORIVS PP. XV.

Venerabili Fratri Episcopo Concheñ. in Hispaniarum Regnis Inquisitori generali.

Venerabilis frater, salutem & Apostoli-
cam benedictionem. Orthodoxe Religio-
nistut clam feliciter existimamus in am-
plissimis Hispanie Regnis cōmendatam
esse fraternitati tuae. Scimus enim, quām
vigilanter excubas in illustri ista statio-
ne, caueas, ne villa impiorum dogmatum
monstra in Ecclesiasticæ vineæ sepes irrepant. Verū occasio
tibi hoc tempore diuinitus oblata est; per quam pietatis tuae be-
neficia è Regnorum istorum finibus educere, & ad exteræ na-
tiones proferre possis. Accepimus isthuc nuper appulisse Vuali-
lie Principem, Britanni Regis filium, spē duellum Catholicī
matrimonij. Cupimus eum non frustra commorari in illorum
Regum ædibus, quibus illustre Catholicī cognomenum Ponii-
ficiae authoritatis defensio, & Religionis proferendæ studium
peperit. Quare Apostolicis literis hortamur Catholicam Ma-
instatem, ut cum Principem redigere suauiter conetur sub Ro-
manæ Ecclesie ditionem, cui veteres Magne Britannie do-
mini coronatum caput, & Imperij fasces Cælo plaudente sub-
misserunt. Ad hanc autem victoriam comparandam, que vi-
dis eternos Cœlestis beatitudinis pollicetur triumphos atque
Principatus, non Regalis erarij vifera exhaurienda, non sa-
cuentium militum legiones conscribenda sunt, sed armalucis
& Cælo petenda, que diuini luminis splendore eius Principis
oculos alliciant, atque ex illius animo errores omnes manjue-
tudine profligent. In ijs vero tractandis quæ sit vis & ars fra-
ternitatis tuae, iam pridem accepimus. Quare te monemus, ut
ad Catholicum Regem religiosus Consiliarius accedas, easque
ratio-

rationes difficias, quibus in signe ali quod beneficium Brittaniae Regni, & Romane Ecclesie in presenti rerum opportunitate comparetur. Res ipsa magna, atque grauißima est: quare eam verbis amplificare non debemus. Regnum Celorum Britannorum Principi patefacere, Regnum Britanniæ Sedi Apostolice restituere incipiet, qui Regij istius adolescentis animum Catholicæ Religionis studio inflamauerit, atque heretice impicitatis odio impleuerit. Intantæ glorie possessionem non dubitamus, ut gladio charitatis armata peruenire cupiat fraternitas tua, cum qua ubertius hac de re differet venerabilis frater Innocentius Episcopus Britonoriensis, Nuntius Apostolicus, cui fidem habere poteris. Nos autem accuratissimis precibus diuina auxilia parare conabimur fraternitati tua, cui Apostolicam benedictionem per amanter impartimur. Datum Roma apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die xix. Aprilis, M. DC. XXIII. Pontificatus nostri anno tertio.